

kodesc omnino pro Sanctuario accipiendum esset, non tamen hoc necessario templum significaret, sed potius *tabernaculum* iam in praecedentibus capitibus descriptum, et paulo post erigendum (Ex. XXV-XXVIII). Poterat autem Moyses determinare speciale pondus pro usibus tabernaculi, quod Hebraei uti normam sequi deberent. Ad alterum vero quod spectat de variis nominibus Hermon, satis obvium erat Moysi triplicem eius appellationem, Hebraicam scilicet, Sidoniam, et Amorrhaeam adnotare vel ut aequivocationem vitaret, vel ad futuros lectores de illa varietate admonendos.

4° Addunt etiam difficultatem *philologicam* ex lingua ac stylo Pentateuchi. Sane, inquit, Pentateuchus, quod pertinet ad linguam, vix differt a postremis Hebraeorum libris canonicis Malachia, Zacharia, Esdra etc. Impossibile est ergo Pentateuchum quindecim ante Christum saeculis scriptum fuisse. Nam octo ferme saeculorum spatio quot inter epocham illam, et praelatos scriptores interceserant, lingua Hebraica valde immutata fuisset ut experientia linguarum suadet.

Resp. 1° Adversarii exaggerant linguae ac styli identitatem. Quamvis enim substantialiter eadem sit lingua Pentateuchi ac recentiorum librorum, discrimen tamen satis magnum occurrit, tum in verbis tum in verborum formis et compositione ita ut lingua Pentateuchi archaica dicenda sit; quod quidem alias probavimus, et facile posset testimonio ipsorum rationalistarum ex. gr. Ewaldi in philologia hebraica doctissimi confirmari. Ceterum 2° nemo mirari debet non tantam exstare differentiam sermonis inter citatos libros quantam quis forte expectaverit: id enim ex variis causis explicari potest. Et primo quidem ex constantia ac tenacitate linguarum Semiticarum, quam ipsi Rationalistae ultro admittunt, inter ceteros Ernestus Renan in sua *Histoire générale des langues Semitiques* (Paris 1863) pag. 120 seq. Ita ex. gr. lingua Syriaca in operibus S. Ephreми qui saeculo IV scribebat, vix differt a lingua Gregorii Abulpharagii, qui saeculo XIII, seu novem post Ephrem saeculis, floruit. Imo etiam in aliis linguarum familiis aliquando idem observare licet ex. gr. in lingua Graeca: orationes enim Basilii M. aut Chrysostomi non solum eloquentia, sed etiam lingua ac stylo cum Demosthenis concionibus comparari possunt, quamvis tot saecula inter earum auctores effluerint. Insuper animadvertimus

adversarios linguam considerare quatenus in sacris et classicis Hebraeorum libris scripta invenitur; sed hoc accuratum criterium non est iudicandi de linguae alicuius identitate, vel mutatione. Quis enim ignorat doctos viros in suis scriptis meliori lingua uti quam vulgus, et antiquiorum scriptorum exempla sibi imitanda proponere? Potuit igitur lingua Hebraica multas variationes subire in ore populi, licet in sacris libris purior existat, et a lingua Pentateuchi non absimilis. Et id quidem valde confirmatur ex eo quod Pentateuchus in manibus Hebraeorum praesertim Sacerdotum ac Prophetarum semper versaretur, ita ut ex assidua eius lectione stylum eius ac linguam familiarem prorsus haberent, eamque proinde de sacris rebus scribentes imitarentur. Hisce addatur Hebraeos cum aliis gentibus commercium vix habuisse, nec magnas internas mutationes sive politicas sive religiosas expertos fuisse usque ad dominationem Graecorum, quae causae solent influxum in linguas populorum exercere, easque sensim sine sensu immutare.

B. Argumenta contra *Mosaicum characterem* auctoris Pentateuchi.

Obiic. 1° Auctorem Pentateuchi semper in tertia persona loqui de Moysse, proindeque seipsam a Moysse distinguere.

Resp. Profani etiam auctores imprimis historici passim solent de se suisque gestis in tertia persona scribere: ita Xenophon in Anabasi, Caesar in Commentariis, Iosephus Flavius in Historiis etc., et inter sacros scriptores ita de se loquuntur Matthaeus, Iohannes aliique. Cur igitur non potuit et Moyses idem facere? Quinimo in argumentis et historiis gravioribus tractandis valde opportuna est, et laude digna huiusmodi agendi ratio, ut scilicet lectores in rerum gravitatem animum unice intendant, quin scribentis persona se illis obtrudat.

Obiic. 2° Auctor in pluribus locis Moysem impense laudat ut ex. gr. Ex. XI, 3: «Fait Moyses vir magnus valde,» et Num. XII, 3: «Erat enim Moyses vir mitissimus super omnes homines qui morabantur in terra:» haec autem, inquit adversarii, a modestia Moysi prorsus abhorrerent si ipse libri auctor esset.

Resp. Non semper modestiae leges exigunt ut homo de suis laudibus tacet, immo ea aliquando incidunt tempora cum quis sua merita commemorare et potest et debet, scilicet vel ad propriam defensionem, vel ad sui officii seu iuris assertionem. Iamvero in

iis adiunctis versabatur Moyses. Oportebat scilicet propriam dignitatem et auctoritatem omnibus modis vindicare coram populo contumaci, et ad rebellionem proclivi. Accedunt etiam speciales rationes pro locis obiectis. In primo enim loco opportuna est illa animadversio ad explicandum quomodo Aegyptii ab Hebraeis iussu Moysi exorati tam facile vasa argenti atque auri illis commodaverint. In altero vero loco mansuetudo Moysi commemoratur ut crimen murmurationis ex parte populi nullam excusationem habeat, simulque ut poena Aaroni et Mariae ibidem inflicta non ulciscendi animo tribuatur, sed unice Divinae iustitiae. Ceterum si suas laudes aliquando Moyses profert, suas quoque culpas, suosque defectus non omittit (Vid. Ex. IV, 40, Num. XX, 2-12, Deut. I, 37 etc.).

Obiic. 3° In capite ultimo Deuteronomii narrari mortem, et sepulturam Moysi, quae certe ab eo scribi non potuerunt.

Resp. Ultra concedimus partem istam Deuteronomii a Moysae scriptam non esse. Vulgo existimant critici narrationem istam a Iosue scriptam constituisse initium libri eiusdem Iosue, qui Pentateucho succedit, et nunc incipit per coniunctivam *et*; editores autem vel collectores sacrarum librorum illam e libro Iosue detractam Deuteronomio adiecisse tamquam Pentateuchi conclusionem.

THESIS XXV.

Hypothesis, uti vocant, fragmentorum eo sensu intellecta, quod Moyses in Pentateuchi compositione antiquiora quaedam documenta verbotenus exscripserit, ac libro praesertim Geneseos inseruerit, quamvis per se cum Pentateuchi authenticitate conciliari possit, critice tamen inspecta reticienda videtur.

Probata Pentateuchi genuinitate, reliquum est ut pauca dicamus de nova illa hypothesis, quam appellavimus *hypothesim fragmentorum*, quaeque, ut superius innuimus, vel prorsus repudianda est, vel tolerari aliquatenus potest, pro varia scilicet ratione qua proponitur ac defenditur.

Itaque breviter dicemus I. de origine, historia, ac diversis modis praeatae hypothesis. II. Determinato statu questionis iudicium de eius valore feremus, allatis scilicet argumentis, quae ab eius defensoribus adduci solent, et crisi eadem instituta.

§. I. Hypothesis origo, historia ac variae formae.

Primus qui de variis in Pentateucho existentibus fragmentis loquutus est, fuit quidam Astruc medicus Gallus in opere: *Conjectures sur les mémoires originaux, dont il paraît que Moïse s'est servi pour composer le livre de la Genèse* (an. 1733) ubi opinionem suam exposuit, librum Geneseos ex antiquioribus scriptis documentis a Moysae compositum fuisse. Ac primo quidem duo documenta distinxit; deinde alia se invenisse existimavit, et tandem duodecim distincta fragmenta admisit, ex quibus simul conflatis liber Geneseos, ac prima etiam capita Exodi compilata fuerint. Eandem sententiam arripuit Eichhorn in Parte II Introd. in V. T., item Ilgen, Brentano, nec non Iahn (*Introd. in libros sacros V. T. Part. II, cap. I*) et Guenée (*Lettres de quelques juifs, etc. Tom. I*) cum aliis nonnullis recentioribus. Eadem sententia rationalistae nostrae aetatis fere omnibus arrisit, ita tamen ut omnem modum excedentes non solum fragmenta aliorum auctorum admiserint extra Genesim in reliquis quatuor libris, sed etiam plura ex iis longe *recentiora* esse Moysae contendant, quae simul composita fuerint, et in unum volumen collecta diu post Moysi aetatem. Ita prae ceteris Vater, Corrodi, De Wette, Augusti, Colenso et alii saepius commemorati, qui simul Pentateuchi veracitatem negant. Ex brevi hac historia apparet hypothesim de qua loquimur generatim quidem in eo consistere ut in Pentateucho plura diversorum auctorum fragmenta distinguantur: ingens tamen discrimen adesse inter varias formas, sub quibus haec hypothesis proposita est. Auctores enim primo loco nominati (ex quibus plures catholici sunt) hypothesim illam ita intellexerunt, ut Moysen illorum documentorum *compilatorem*, ac proinde *libri auctorem* esse admitterent. Rationalistae vero dum plurimum fragmentorum aetatem recentiorem fingunt, hoc ipso integri operis compositionem Moysi denegant, et contra unanimum et constantem traditionem Pentateuchum Moysae recentiorem faciunt.

Ex dictis sequitur secundam hanc formam hypothesis, quae rationalistarum propria est, iam in praecedenti Thesi esse refutatam, ubi ostendimus integrum Pentateuchum a Moysae prodidisse. Restat itaque ut de hypothesis loquamur iuxta primum sensum, quo ab Astruc, Iahn aliisque nonnullis etiam Catholicis defenditur.

§. II. Examen hypothesis fragmentorum

quatenus a Catholicis quibusdam auctoribus proposita est.

Ut rectum de hac questione iudicium feratur, imprimis clare definiendus est quaestionis status, tum vero argumenta quae pro laudata sententia afferri solent breviter exponenda, ac postremo de eorum valore disserendum; quae si minus solida apparebunt, ipsa sententia, quamvis alioquin non omnino contraria sacris Libris, dimittenda erit.

Primo itaque animadvertimus duobus modis intelligi posse quod citati auctores dicunt, Moysen in Genesi conscribenda antiquioribus documentis usum fuisse. Vel enim quis opinatur Moysen in antiqua illa historia pertexenda praeter traditionem etiam scripta aliqua antiquiora consuluisse, ut scilicet factorum veritatem magis magisque confirmaret, et ipsius traditionis obiecta clarius ac certius dignosceret: vel ita rem intelligit ut dicat Moysen ipsa illa documenta antiquiora prout iacebant accepisse, ac suo operi inseruisse tamquam totidem seiuncta ac independentia fragmenta. Si primo modo hypothesis intelligatur nihil est quod in ea reprehendum sit. Si enim scribendi ars antiquior est Moysen, ut superius vidimus, credibile est, scriptum aliquod sive Patriarcharum, sive Aegyptiorum aetate Moysi inventum fuisse. Quo posito quis mirabitur Moysen doctissimum aequae ac prudentissimum historiae scriptorem scripta illa consuluisse cum omnes optimaе notae historici id facere soleant? Neque factum divinae inspirationis, quam Catholici admittunt in Moysen, impedire debet quominus id credamus: constat enim divinam inspirationem, praesertim in historia scribenda, humanam industriam non excludere, ut exemplo auctoris secundi libri Machabaeorum (2 Mac. II, 20–27; XV, 38–40) et sancti Lucae (Luc. I, 1, 2) potissimum confirmatur. Verum auctores a nobis laudati hic non sistunt, sed altero sensu contendunt documenta antiquiora a Moysen adhibita fuisse, integra scilicet assumpta, et libro Geneseos inserta. Videamus igitur quibus rationum momentis sententiam hanc confirmare satagunt.

Arg. I. Praecipuum ac palmare horum auctorum argumentum, quod ab Astruc primo propositum ab aliis repetitum et exornatum fuit, collocatur in *distinctione nominum Dei יהוה (Iehovah), et אלהים*

(*Elohim*). Observant scilicet in quibusdam partibus Geneseos solum primum nomen adhiberi, in aliis vero alterum tantum. Ex hoc concludunt diversam aetatem esse, et diversos auctores illarum partium, quos auctores *Iehovistas* et *Elohistas* appellant. Hinc duae classes fragmentorum quorum alia *Iehovistica* vocant, alia *Elohistica*.

Arg. II. Desumitur ex *repetitionibus* quae in Genesi praesertim occurrunt; ita ex. gr. creatio hominis ter saltem legitur; nam narratur Gen. I, 26, 27, et II, 7, et iterum Cap. V. resumitur historia creationis Adam (V. 1, 2.). Item de Patriarchis Seth, et Enos IV, 25, 26. et iterum V, 3–6. Pariter de filiis Noe V, 31. et rursum VI, 10, et ita de aliis. Adversarii ex his concludunt Moysen antiqua documenta suo libro inseruisse, et quamvis identidem de iisdem rebus mentionem facerent noluisse ea immutare. Si vero ipse originario historiam scripsisset repetitiones sine dubio vitasset.

Arg. III. Desumitur ex *titulis, et conclusionibus*, quae ante, vel post nonnullas narrationes leguntur ex. gr. Gen. II, 4: « Igitur perfecti sunt coeli, et terra, et omnes ornatus eorum » deinde vero vers. 4: « Istae sunt generationes coeli et terrae quando creatae sunt » etc. et Cap. V, vers. 1 legitur titulus: « Hic est liber generationis Adam » et VI, 9: « Hae sunt generationes Noe » et X, 1: « Hae sunt generationes filiorum Noe » et alia similia: unde concludunt adversarii partes istas narrationis esse totidem separata, et in se completa historica documenta.

Arg. IV. Desumunt ex *omissionibus, et lacunis*, quae in historia Pentateuchi offenduntur: ita ex. gr. totum XVII saeculorum spatium ab hominis creatione usque ad diluvium sex tantum capitibus (Gen. I–VI) comprehenditur, ita ut pauci omnino eventus ex illa aetate referantur; quod etiam observatur aliquando in posterioris aevi narrationibus.

Arg. V. Sappeditat adversarii *styli diversitas* in prima praesertim Geneseos parte: ita narratio creationis mundi sermone conciso, obscuro ac desultorio procedit, historia diluvii prolixior est et elegans; rursum quae sequuntur Cap. IX et X admodum ieiuna et arida sunt, quae statim excipit copiosior et pulchrior historia Patriarcharum. Generatim autem liber Geneseos in primis XV vel XVI capitibus a stylo posteriorum librorum non parum differt.

Arg. VI. Denique ex eo desumunt quod Moyses sine scriptis monumentis non potuisset quaedam tam minute describere, quem-

admodum in historia Geneseos occurrunt, puta genealogias Patriarcharum ante diluuium, primorum hominum colloquia, et alia huiusmodi.

Haec quidem sunt argumenta quibus praefati auctores sententiam suam tuentur, quae nunc breviter expendemus. Ex eorum expositione apparet laudatam hypothesim in hoc fundamento inniti, quod multa quae in Geneseos praesertim libro occurrunt *aliter explicari nequeant*. Quapropter si possit ostendi illa omnia, etiam sublata hac hypothesi, commode explicari posse, hoc ipso sententia illorum auctorum solidò fundamento carebit, ac iure proinde reiicietur. Nobis autem videtur facile demonstrari posse fundamentum illud labile esse, et adversariorum argumentis non probatum. Et primo quidem praedictum contra eorundem argumentorum valorem creatur ex dissensu multorum optimaе notae criticorum. Si enim argumenta illa tam clara et efficacia essent, ut volent citati auctores, quomodo factum est ut nemo ex antiquis doctoribus ac interpretibus etiam in philologia peritissimis eorum vim persenserit donec Astruc elapso saeculo mirum hoc inventum in lucem protulit? Nec etiam recentioribus sententia illa generatim placuit. Pauci enim sunt saltem ex Catholicis qui eam expresse defendunt, ita ut miremur lansens in Hermeneutica sacra Cap. III. confidenter asserere *recentiores exaegtas fere omnes hanc opinionem tueri*. Crescit argumentum si paulisper attendamus miram discordiam inter ipsos sententiae de qua loquimur defensores: quod enim uni ex illis validum argumentum videtur alter uti leve ac futile explodit; ubi unus duo distincta fragmenta reperisse sibi videtur alter unum admittendum esse contendit: quorum proinde fragmentorum numerus diversus apud diversos auctores reperitur; Astruc duodecim, Eichhornius duo, Ilgen tria recenset; Iahnus autem loc. cit. affirmat « haec quidem omnia subtiliter excogitata sunt, et quaelibet sententia innititur opinionibus a longe quaesitis et arbitrariis, » et Mich. Nicolas declarat Ewaldi rationes mera esse figmenta, et recentiores criticos modo prorsus arbitrario documenta distinxisse. (Vide *Etudes de critique sur la Bible*, pag. 44-48). Haec tam ingens opinionum dissensio nonne certum indicium est plus ingenii ac subtilitatis in iis inveniri quam veritatis? Sed iam ad singula veniamus.

Argum. I. petebatur ex nominum Dei distinctione: in quibusdam enim narrationibus, inquirunt, solum nomen *Elohim* adhibetur, in aliis

solum *Iehovah*. Levitas huius argumenti tam clare apparet ut mirum omnino sit tantum rumorem a recentioribus quibusdam de eo actum fuisse. Sane imprimis non raro fit ut in una eademque narratione Geneseos utrumque Dei nomen occurrat; ex. gr. Gen. VI, 3, 8, 9, 12, 22 Deus dicitur Elohim, sed v. 8 dicitur Iehovah cum tamen evidenter una eademque narratio sit, et unus contextus. Item Gen. VIII, 15 ponitur Elohim, sed v. 20, 21 Iehovah. Cuius igitur auctoris erunt huiusmodi narrationes Elohistici ne, an Iehovistici? Sed quod magis hisce doctoribus incommodum accidere debet est v. 46 cap. VII, in quo utrumque nomen occurrat: dicendum erit alteram partem versiculi ab auctore Iehovista, alteram vero ab Elohista scriptam esse? Verum, hoc etiam omissis, quid prohibebat Moysen modo uno, modo altero ex praedictis nominibus Deum designare? nonne optimi quique scriptores id facere solent sive ad stylum variandum, sive quia unum nomen praeter altero quibusdam argumentis congruit? Si haec argumentatio valeret etiam vaticinia Isaiae, Ieremiae et aliorum prophetarum, et aliquando unus idemque Psalmus, diversis auctoribus tribuenda essent quia in illis nunc Iehovah nunc Elohim legitur: quin etiam oratio Moysis Deut. IV, quae, fatentibus ipsis rationalistis, unum habet auctorem, eandem tamen varietatem praesertit; si autem in hac oratione potuit Moyses ea libertate uti, cur non etiam poterit in primis Geneseos capitibus? Denique non desunt auctores qui rationem assignant pro vario illorum nominum usu, ita ut non solum varietatis causa id a Moysese factum fuerit, sed ob diversam ipsorum nominum significationem: cum enim nomen *Elohim* appellativum sit, et ideam dominii includat, tunc potissimum adhibendum fuit cum de Deo creatore ac provisorio sermo erat, *Iehovah* autem cum nomen Dei proprium sit, magis congruebat iis locis ubi de Dei natura, vel de ipso Deo bonorum supernaturalium fonte fit mentio. Hinc inter ipsos rationalistas De Wette, et Kuenen post maturum examen coacti sunt fateri, distinctionem illam nominum ad probandam fragmentorum diversitatem insufficientem esse.

Ad Arg. II. animadvertimus repetitiones illas optime consistere cum unico libri auctore, nec magis valere contra Genesim quam contra alios libros in quibus pariter inveniuntur. Ita ex. gr. in Deuteronomio, quod tamen ab uno auctore prodixisse certissimum est, eadem praecepta iterum atque iterum inculcantur, et in Actibus

postolorum, quamvis unum habeant auctorem Lucam, conversio Pauli bis invenitur narrata (Act. IX, XXII). Nec desunt rationes ad explicandas quasdam repetitiones ab adversariis obiectas: ita creatio hominis in capite I narrata opportune repetitur, et clarius exponitur in capite II, quia exinde incipit proprie historia generis humani, cuius stipes et caput erat Adam, dum in capite praecedenti eius creatio breviter innuitur tamquam pars et complementum totius operis creationis. Idem dicendum de aliis exemplis repetitionum, quae tamen consulto fiunt a Moysse ut diversarum stirpium genealogiae clariiores sint, aut alia simili de causa.

Ad Arg. III. de titulis et conclusionibus quod attinet, nihil impedit quominus horum unus idemque Moyses sit auctor, scilicet ut varias narrationis partes clare inter se distingueret, et transitum ab una ad aliam epocham, seu ab uno ad aliud argumentum indicaret. Iam enim vidimus in prima Geneseos parte paucos tantum eventos, et longe inter se dissitos narrari. Quod pertinet speciatim ad initium capituli V, verba illa: « *Hic est liber generationis Adam* » non designant distinctum aliquem librum, aut codicem, seu documentum, sed iuxta vim hebraicae vocis סֵפֶר (sepher) significant: haec est historia seu *narratio* genealogiae Adami.

Ad Arg. IV. Omissiones et lacunas in Genesi reperiri ultro admittimus. Neque aliter esse poterat considerato scopo Moysi in historia Geneseos texenda. Neque enim ei propositum erat integram humani generis historiam referre, sed illos dumtaxat eventos, ex quibus colligi posset ordo mirabilis divinae Providentiae in humani generis redemptione praeparanda, et revelatae Religionis deposito custodiendo. Frustra igitur exinde adversarii sibi fingunt plures auctores et plura fragmenta.

Ad Arg. V non magis valet diversitas styli, quam fatemur existere inter primam Geneseos partem, et historiam Iosephi, ac quatuor reliquos libros, praesertim Deuteronomium. Saepe enim fit ut unus idemque auctor pro vario argumento, pro varia aetate, ac pro diversis adiunctis in quibus scribit stylo etiam aliquatenus diverso utatur. Quid igitur miram si idem et Moysi acciderit? Aliter enim narranda erat primorum hominum historia, cuius pauca vel nulla exstant monumenta nec tam intimus erat cum Hebraeorum historia nexus, quare breviter ac sobrie proponenda fuit; aliter autem historia recentior, quae ad Hebraeos proprie pertinebat, even-

tibus gravissimis referta erat, et genti universae ex patrum traditione notissima. Item recolendum est libros suos Moysen scripsisse toto quadraginta annorum spatio inter laeta ac tristia, in medio discriminum, et in continua gravissimorum negotiorum turba. Quis autem mirabitur, cum vel labentibus annis et ingravescente aetate, vel in adiunctis omnino diversis et contrariis constitutum, vel de rebus admodum variis tractantem non semper eundem styllum adhibere potuisse, aut etiam voluisse?

Ad Arg. VI. dicimus, id tantum demonstrare Moysi praeter traditionem etiam scripta monumenta praesto fuisse, quod non negamus: minime vero eadem integra ab eo fuisse recepta, et Pentateucho inserta. Accedit etiam, quod pertinet ad colloquia, eadem potuisse per traditionem cognosci saltem quoad sensum; neque enim ulla est necessitas supponendi ipsa priscorum hominum verba a Moysse recitari, exceptis iis quae speciale aliquod mysterium, seu vaticinium, aut Dei promissionem continent, quae quidem ob ipsam eorum gravitatem facile poterunt immutata conservari, et ulterioris certitudinis causa ex scriptis confirmari.

Ex hisce omnibus apparet sententiam de qua loquimur non satis solidis fundamentis inniti, et ad styllum vel formam Pentateuchi explicandam minime necessariam esse.

CAPUT III.

DE LIBRORUM V. T. CONSERVATIONE ET INTEGRITATE.

Ordini superiori constituto insistentes de V. T. *conservatione et integritate* tractaturi, distinguimus *textum originarium a versionibus*; hisce enim duobus modis quemadmodum Novum ita et Vetus Testamentum conservatum est, et ad nos usque pervenit. Imprimis autem dicimus quinam sit originarius V. T. textus.

Libri V. T. protocanonici hebraica lingua scripti fuerunt a suis auctoribus, ita tamen ut nonnullae partes chaldaice exaratae sint scilicet 4 Esdrae IV, 8 usque ad VII, 27, et Danielis II, 4 usque ad VII, 28. cum vers. 11 Capituli X Ieremiae. Septem vero libri deuterocanonici non hebraice sed graece habentur, ex quibus tamen